ALCIATI

IVRISCONSVLTI ORATIO, in laudem Iuris Ciuilis, in principio ſtudii habita, cum Auenione profiteretur.

COGITAVI ſępenumero, animiq; incertus mecum uolutaui, Auditores præſtantiſſimi, an præfatione aliqua mihi pro fœlici ſtudiorum huius anni auſpitio uobiſcum opus eſſet. Cum em̄ ex ſuperiorū annorum uſu exploratiſſimū haberem, quo uos animi deſyderio ad perdiſcendam Iuris prudentiam feramini, quaq; attentione aures præceptoribus ueſtris adhibeatis, & qualiacunq; dictata noſtra excipiatis, minime mihi neceſſarium uidebatur, id apud uos dicendi munus aſſumere. Nam & noſtra ſtudia ſuapte natura ita prolixe, magniſq; Cōmentariis tractata ſunt, ut multiloquio orationū ceu auctario aliquo non indigeant, & qui uos inuitare ad ea capeſſenda uelit, non ſatis induſtriam ueſtram perſpectam habere uideri

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG